

nutatio ipsa producat. Siccitas tamen aëris à Sole producta, procul dubio multum quoque confert. Hanc enim à tunica narium exquisitissime percipi, notat *Celeber. Schneider. d. l. p. 204.* Hinc dicit esse, quod ambulantes manè in Sole sternuere soleant; sicut qui tempestate frigidâ iter confecerunt, ingressi confestim vaporarium bis aut semel sternunt. Nisi verò vis etiam aliqua lumini solarî est relinqvenda; quoniam & illi, qui ad sternutandum sunt proni, candelâ accensâ observati sunt magis sternutare. Sed hæc operatio, si quæ est, ad occultas magis quam ad manifestas est referenda. Nisi dicere velis, à lumine, si sit excellens, immediate oculos, & mediate per hos tunicam offendi, ut sic sternutatio gigni possit. Lumini tamen vim quandam occultam omninò inesse, haud inviti fatentur naturæ Consulti: Vide *Jesuitam Theodorum Moretum de estu maris pag. 43. seqq.*

§. 38. Forma consistit in illò motu excretivo tunicæ in naribus, quem aliquoties hætenus depinximus obiter. Vide in primis §. 24. Sive verò aërem tantum, sive flatum, sive mucum aut aliud quid excernat; id perinde se habet ad sternutationis essentiam: Sicuti explosio bombardæ in se perfecta est, sive globulum, sive chartam aut lignum ejaculetur. Sufficit, tunicam ab aliquo irritari, quò se motu hòc excretivo conatur liberare.

§. 39. Cum hac formâ essentiali jungitur semper sonus aliquis, tanquam accidens necessarium, sive ille sit intensus, sive remissus. Sicut enim expulsionem flatûs &c. per foramina narium, non potest non comitari: Ita ob causas naturales & voluntarias existit varius, ceu experientia testatur. Remissus sonus fortè apud nos Germanos nomen dedit sternutationi, ut vocetur das Niesen. Lingva enim in hâc voculâ videtur imitari nares quoad sonum. Intensus, si sit voluntarius, refertur inter mores rudiores. Certius etiam ex eo agnoscitur agrestis, quam mollis homo; qualè inde conjiciebat *Cleanthes. Vid. Laërt. Lib. VII. de vit. Philosoph. in Cleanthe pag. 323.* Non igitur de nihilo est monitum *Clement. Alexandr. l. 2. Pædag. c. 7. Sternutatio, inqvientis, si cui evenerit, sicut etiam ructus, non oportebit sonò proximos ciere, qui de mala educatione ferant testimonium.*

§. 40. Tandem ad finem sternutationis ac usum perveniendum.